


EPISTULA LEONINA

CLXXXIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.


HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CLXXXII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTOGESIMAM TERTIAM (183) !



ARGUMENTA

EQUO NE CREDITE TEUCRI.....	03
DE »PACTO LUPORUM«.....	04
Φοβού τους Δαναούς και δώρα φέροντας	05
ORATIO GODEFREDI CURIONIS.....	06-11
ALEXANDER MITSCH: Pactum num est equus Troianus?.....	12-13
»PACTUM LUPORUM«: Israheliam nolle pacto subscribere.....	14-16
FABELLA GRIMMIANA: De Iohanne fortunato <i>Hans im Glück</i>...17-24	

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam octogesimam tertiam (183). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Saturni, 08. m.Dec., a.2018**



Equus Troianus in Troiam trahitur.

Pinxit Dominicus Tiepolo ca. 1760. Haec pictura asservatur in *National Gallery*.

**EQUO NE CREDITE TEUCRI
 QUIDQUID EST TIMEO DANAOS
 ET DONA FERENTES**

VERGILIUS, Aeneis II 40-49 Primus ibi ante omnis magna comitante caterva (40)/ Laocoon ardens summa decurrit ab arce (41), et procul 'o miseri, quae tanta insania, cives? (42) creditis avectos hostis? aut ulla putatis (43) dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes? (44) aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi, (45) aut haec in nostros fabricata est machina muros, (46) inspectura domos venturaque desuper urbi, (47) aut aliquis latet error; **equo ne credite, Teucri.** / (48) **quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.**' (49)

DE »PACTO LUPORUM«¹

<https://www.youtube.com/watch?v=2gFQ6qhWea8>



GLOBAL COMPACT FOR SAFE, ORDERLY AND REGULAR MIGRATION

FINAL DRAFT

11 July 2018

We, the Heads of State and Government and High Representatives, meeting in Morocco on 10 and 11 December 2018, reaffirming the New York Declaration for Refugees and Migrants and determined to make an important contribution to enhanced cooperation on international migration in all its dimensions, have adopted this Global Compact for Safe, Orderly and Regular Migration:

SODALES HUMANISSIMI

**CETERUM CENSEO PACTO MIGRATIONIS GLOBALI NON ESSE
SUBSCRIBENDUM.**

**NAM ISTUD PACTUM FATALE SI AD EFFECTUM ADDUCTUM
ERIT, NATIONES EUROPAE EARUMQUE LIBERTAS ET CULTUS
CIVILES INEVITABILITER ATQUE IRREVERSIBILITER
EXSTINGUENTUR.**


**BUTYRUM ET MEL COMEDITE UT SCIATIS REPROBARE MALUM
ET ELIGERE BONUM.**

MEDULLITUS VOS SALUTAT



LEO LATINUS

¹ De hōc supernomine Pacti Migrationis Globalis legas p.15sq.



Φοβού τους Δαναούς και δώρα φέροντας

<http://www.pi-news.net/2018/11/gottfried-curio-im-bundestag-der-pakt-ist-ein-trojanisches-pferd/>

PACTUM MIGRATIONIS GLOBALE ESSE EQUUM TROIANUM



Oratio Godefridi Curionis die 29. m.Nov. a.2018 in Foederali Conventu Legatorum habita

Praeses maximê honorabilis, Legati honorabiles,

istud pactum est *Equus Troianus*. Quod sic scriptum est, ut lector crederet eodem statûs chaoticos finitum iri, sed reverâ in eodem pacto latent nova problemata innumera. *Domina Merkel*, quae modo se apoculat, calamitatem suam anni 2015 in consilium migrationis globale vult abdere istamque a posteriori purgare necnon in futurum continuare.

In isto pacto scribendo calamus praecipuê ductus est ab ipsâ gubernatione germanicâ. Eodem falsis nominibus indicatis contraria transportantur eorum, quae praetexuntur. Pacto migratio neque

dirigitur neque gubernatur, sed amplificatur chaoticê et infinitê. Eodem omnia instrumenta, quibus usque nunc ordinabatur, nunc tolluntur sine ullâ compensatione. Nulla iam causa fugiendi, nulla iam causa asyli, nulla iam qualificatio professionalis est necessaria ad immigrandum; nulla documenta officialia, ne ulla quidem legalitas – nihil. Isto pacto commendatur *migratio condicionis expers*. Isto pacto nihil fit nisi homines ubique terrarum sine ullo sensu responsalitatit invitantur, ut in Germaniam immigrerent numero non limitato.

Nec desunt alia nomina falsa: De nullis effectibus dicitur nisi de *utilibus*. Incommoditates sociales et culturales penitus ignorantur, sicuti in Germaniâ fieri solet. At reverâ migratio si fit talibus circumstantiis, numquam est fons prosperitatis, sed violentiae et expulsionis et perturbationis chaoticae. Talibus autem immigrationibus massalibus nihil inest humanitatis caritatisve. Num terrae usque nunc a migratoribus exoptatae pacto valente minus petentur? Ineptê dictum! Aliae nationes neque volunt neque possunt migratoribus tanti suppeditare quanti Germania.

At pactum minatur eos, qui de talibus rebus criticê retulerint, poenam duros esse pecuniariam, i.e. fore censuram. Nullâ ex re melius apparet, quale sit istud pactum istiusque auctores quam alieni sint a democratiâ, immo dictaturae quam propinqui. Germanica quidem gubernatio lêge censurae Domini *Maas* latâ sanê iam fortiter progressa est. Itaque gubernantes enuntiant: ‘*Nos quidem pacti proposita iam sumus assecuti*’. – Ita est et sanê satis malum est vos ista iam assecutos esse, Dominae Dominique!

Secundum pactum omni homini, qui quoquo modo in Germaniam venerit, concedetur aditus ad systema sociale, quamvis ne minimum quidem ad idem systema contribuerit. Et nobis omnibus pecunia solvenda erit pro istâ re insanissimâ. Ius concedi debet immigrandi illimitatum omnibus, qui contendunt se esse „*profugos climatis causâ*“. Migratoribus usque ad terram quam petunt praeberi debet quam optima comitatio atque suppeditatio. Iam nunc hac in terrâ aliquot centum milia migratorum fruuntur re, de quâ Germanus civis vulgaris tantummodo somniare potest: salario fundamentali condicionis experti. Inde autem consequitur fatalis effectus

haustorius¹: miliones Africanorum migrandi cupidorum iam insident vidulis suis. Isto pacto illis promittitur matta pensilis² socialis et praeceptis moralibus praetextis a nobis postulatur, ut hanc mattam intendamus. Apud nos licet redivitibus pensionesve deminuantur ad infinitum, attamen quotannis quinquaginta miliones euronum dantur pro asyli petitoribus necnon ista expilatio nunc globalizabitur, i.e. infinities multiplicabitur.

At *Domina Merkel* nequaquam fovet commoda superanitemque³ nationis propriae, quod ut faceret iure iurando officiali iuravit, sed id diffamat tamquam proprium nationalismi periculosum. Eadem mulier adversatur civibus propriis. Is politicus, qui isti pacto nomen suum subscribit, oportet ne umquam denuo eligatur.

In pacto ubique dicitur de obligatione sui ipsius, ad cives custodiendos condenda etiam sunt instituta specialia. Migratio illegalis ita purgatur, ut dicatur status irregularis neve maneat poenalis. Hoc monet eius habitus mentis, quo *Domina Merkel* solet ius frangere: illegalitatem facere legalitatem, quod ut fiat sibi exoptat omnis homo professione sceleratus. Iterum eadem vult rationem suam politicam praestare legibus – sicut praestitit anno 2015.

Secundum pactum migratores oeconomici aequandi sunt hominibus bello aut causa politica profugis. Ne iam inter se distinguantur migratorum status varii. Providentia socialis ut omnibus concedatur. Effectus negativi considerate non commemorantur. Migratio dicitur fons esse opulentiae atque innovationis. Istaec opulentia migratorum nobis quotannis constat quinquaginta miliardis euronum. Innovationes nobis sunt scelera cultris commissa constuprationesque gregales.

Nullo loco pacti commemorantur magna detrimenta socialia, quae effici solent migratione: Ius servandum parum potest custodiri, numerus scelerum raptim vehementerque augetur, systemata socialia expilantur, sumptus integrationis infinite abundant, societates oriuntur parallelae a constitutione rei publicae remotissimae, molestiae

¹ effectus haustorius, orig. *Sogeffekt*; angl. *pull effect*.

² matta pensilis orig. *Hängematte*; angl. *hammock*.

³ +superanitas, -atis f. orig. *Souveränität*.

afferuntur hominibus alii religioni addictis, percrebrescunt violentia atque tromocratia¹. Estne aliquis in Germaniâ, qui talium rerum pluribus indigeat? Puto neminem esse.

De his autem rebus in textu pacti nullum legitur verbum. Hoc pactum vult fraudare. Oportet Germania servet auctoritatem suam decernendi; oportet Germania ipsa definiat, cui liceat ad se venire. Oportet impediamus, ne absolvatur istud programma ingens, quo migratores cuiuslibet generis translocentur².

Neque in textu ullum verbum invenitur, quod spectat ad migratores in limitibus recusandos. Ergo secundum pactum non iam necesse erit custodire limites Unionis Europaeae, immo pactum vult praestare limitum transgressionem securam. Porro pacto praescribitur, ut sanctiones in migratores illegales statutas revideantur, ut disquiratur, num migratores iisdem discriminentur. Verisimile est secundum hoc praeceptum migratores custodiâ publicâ expellendi³ statutâ discriminari⁴. Itaque secundum pactum migratores irregulares mutandi sunt in regulares. At in re publica iusta necesse est servari differentiam legalitatis et illegalitatis, quam vos vultis tollere. Transgressio limitis illegalis est poenalis. Necesse est maneat poenalis.

Isto pacto si gubernatio immigrationem vult ordinare atque facere securam, haud aliter agit quasi velit effracturas impugnare eo quod easdem generaliter facit legales, sed praescribit, talia delicta ne nocte inter horas vicesimam secundam et sextam fiant nisi ordinatê et securê et regulariter. Ita tandem fit, ut effractura ordinetur et dirigatur.

Auctores pacti animadvertere volunt in hominum subintroductores, sed homines subintroductos tamquam victimas volunt facere impunes. At iidem sunt mandatores delinquentes subintroductorum sui delinquentium. Auctores migratoribus volunt dare novas chartas identitatis, sed eodem modo famulantur centum milibus fraudatorum

¹ *tromocratia, -ae f. orig. *Terrorismus*.

² *trânslocō, -âre orig. *umsiedeln*.

³ **custōdia pūblica expellendī** orig. *Abschiebeknast, -haft*.

⁴ Verbo **discriminandī** hīc utimur sensu moderno sociologico, qui alius est ac sensus antiquus: Hīc aliquem discriminare valeat i.q. aliquem hominem aut gregem socialem peius tractare quam alios. Similiter puto necessarium esse, ut verbum **integrandī** in contextu sociologico adhibeamus sensu moderno ita ut dicamus migratorem se integrare esse i.q. talem hominem se adaptare ad mores cultumque civilem eius nationis, in cuius terram immigrat.

identitatem celantium, qui syngraphos suos destruxerunt. Pactores eo volunt avertere a Germaniâ migratores, quod postulant, ut ubique terrarum exaugeantur pecuniae sociales migratoribus dandae. At aliae nationes non tantas pecunias sociales introducent quantas praebent Germani.

Isto pacto impensa Germaniae nequaquam deminuentur. Pactum confitetur se migrationem fovere. Praescribere, ut migratores adiuventur. Ut migratio praestetur. At migratio per se nequaquam est res bona, saepe est mala. Ut migratores statim habeant aditum ad mercatum operandi eo quod – mirum auditu! – facultates comprobantur haud formaliter acquisitas. Is Africanus, qui in patriâ suâ aliquando aliquatenus operatus est, nequaquam expertus est tirocinium more germanico instructum – tamen ei secundum pactum praebendae sunt tutela socialis et pecuniae officiales: libertas migrandi si talibus operariis migratoriis conceditur, importantur innumeri casûs sociales. Auctoribus pacti videtur placere, quod migratoribus licet sine interprete petere pecuniam disoccupatorum Hartzianam IV.

Totâ istâ re migratores politicê armantur contra civitatem pugnantes, quae eosdem recipit. Pacto migrationis globali indigenis attribuuntur officia erga migratores, migratoribus nihil attribuitur nisi iura, utraque res sine causâ. Num istaec omnia adhuc ab aliquo parienda sunt, qui labores exanclet? Eia vero, a stulto Germano! Qui utinam ne sit nacista¹ phyletismo² extraneisque discriminandis tam vehementer deditus, ut recuset, ne pecuniolam suam comparsam eroget ad totam istam pulcherrimam diversitatem multiplicitatemque colendam! Ceterum mirandum non est, quod pleraeque nationes pacto subscripturae non incolunt terras, quae petuntur a migratoribus.

Istud pactum a *Dominâ Merkel* est excitatum, apud *Nationes Nullificatas*³ subtiliter praeparatum. Quod dicitur esse miliarium, sed nondum terminum. Hoc legitur. Quonam iter fit? Heus quid legimus? In quadam disquisitione Unionis Europaeae a.2010 factâ dicitur: Fieri

¹ *nācista (= nationalis socialista), -ae m. orig. *Nazi*.


² *phylētismus, -ī m. orig. *Rassismus*.

³ *Nātiōnēs +Nullificātae* orig. *Verneinte Nationen* (NB Curionis paronomasiam sarcasticam !).
+nullificandi vox mediaevalis invenitur in Lexico Ducangiano.

posse, ut Germania habeat usque ad 274 (ducentos septuaginta quattuor) miliones incolarum. – En mundum sanê novum bellulumque! Pacto ergo fiet, ut quotannis accipiamus tantam calamitatem quantam a.2015, sine ullâ obligatione; nam postulatur, ut in Unione Europaeâ res sic fieri pergant; ne ex mense Decembri res umquam desinant sic evadere, ut fiat absolutê constans calamitas, quam breviter appellemus: ACC¹.“



**Hanc Orationem
quam die 29. m.Nov. a.2018
in Germaniae
Foederali Conventu Legatorum
habuit
Gottfried Curio
In Latinum convertit**



LEO LATINUS

¹ orig. *Absolut Konstante Katastrophe*, kurz: *AKK*.

<https://www.theeuropean.de/alexander-mitsch/14906-stopp-das-un-migrationspakt>

Pactum migrationis globale – num est Equus Troianus?

Alexander Mitsch in situ interretiali ipsius »WerteUnion« scribit nostrâ quidem sententiâ fieri posse, ut Pactum Globale Migrationis securae, ordinatae, regularis evadat in Equum Troianum, quo foveatur immigratio massalis, non non dirigatur, illegalis, quae fiat in Europam occidentalem, speciatim in Germaniam.



Consilium captum est, ut mense Decembri ineunte decernatur *Pactum Globale Migrationis securae, ordinatae, regularis* Marroccii in urbe¹ in congregatione Nationum Unitarum (UN) plenariâ.

Gubernatio Germaniae foederalis nunc in animo habet huic pacto assentiri. Quamquam saepe verbis effertur huius pacti subscriptionem nullos habere effectûs obligatorios legislationemque nationalem hōc pacto manere intactam, tamen huic pacto insunt nonnulla pericula, propter quae ab ipsâ *WerteUnion* recusatur.

¹ +**Marroccium**, -iī n. theod. *Marakesch*, urbs terrae, quae appellatur Marocum: cfr Vicipaedia s.v. Marocum. <https://la.wikipedia.org/wiki/Marocum>, ^{[1][2][3]} (Lingua Berberica: **Murakuc**, Arabice: المغرب) est *civitas sui iuris* in *Africa Septentrionali* sita. *Urbs primaria* olim fuit *Marrochium* (unde commune regni omnis nomen derivatur), hodie autem *Rabatun*.

Itaque ipsa *WerteUnion* fractionem Conventûs Foederalis Legatorum christiano-democraticam atque christiano-socialem admonet, ut diligenter incumbat in hoc pactum eiusque pericula Germaniae imminetia tractandum et petat, ut de hōc pacto in Conventu Foederali disputetur et suffragia ferantur. Ne huic pacto subscribatur antequam fusê probatum et decretum sit.

Quoad haec *Alexander Mitsch* praeses ipsius *WerteUnion* declarat haec quae sequuntur:

*„Nostrâ quidem sententiâ fieri potest, ut **Pactum Globale Migrationis securae, ordinatae, regularis** evadat in Equum Troianum, quo foveatur immigratio massalis, quae non dirigatur, illegalis, quae fiat in Europam occidentalem, speciatim in Germaniam.*

Exspectandum est Res Publica Foederalis Germaniae si Pacto subscripserit, permultos homines extraneos querelam delaturos esse contra petitionum asyli et iuris permanendi recusationem; querelarum autem eventum penitus fore incertum.

Praeterea periculum est, ne Unio Europaea conetur res publicas sui participes, qui pacto subscripserint, iure suo cogere, ut nolentes accipiant migrationem in systemata socialia factam.

Pacti auctores id magni faciunt, quod migratoribus concedendum sit ipsum ius systemata socialia adeundi. Neque iidem distinguunt migrationem legalem ab illegali, sed tantummodo migrationes appellant ordinatam et inordinatam, quas dicunt inter se non differre iuribus amplis pacto sibi attributis.

*Itaque propter pericula usque nunc nondum probata et a populi legatis nondum disceptata neque computabilia ipsa *WerteUnion* negat mense Decembri pacto subscribendum esse. Praeterea fractionem Unionis strictê admonemus, ut in Conventu Germaniae Foederali petat, ut in Conventu Germaniae Foederali de pacto consulatur et suffragia ferantur et decernant secundum salutem populi germanici”.*

Porro Alexander Mitsch addit verba haec: “*Non licet sine cooperatione et assensione legatorum populi subscribere foederi, quod tantos effectûs habeat ad societatem nationis nostrae*“.

Fons: [WerteUnion](#)

scripsit [Alexander Mitsch](#) d.25. m.Oct. a.2018



DIREPTIO ROMAE

Pinxit Joseph-Noël Sylvestre (1847-1926)

VERBA ALEXANDRI MITSCH

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

<https://www.wochenblick.at/pakt-der-woelfe-israel-erwaegt-jetzt-ausstieg-aus-migrations-pakt/>

d.04. m.Nov. a.2018

„PACTUM LUPORUM“: Israheliam nolle subscribere Pacto Migrationis



Apparet etiam Israheliam deliberare de Pacto Migrationis recusando. Teste Richardo Schmitt redactore ephemeridis Austriacae “Kronen-Zeitung” **Professor Dan Schueftan consiliarius securitatis** dixit hoc pactum esse *“pactum luporum”*.

Ut Richardus Schmitt multimedialis redactor principalis ephemeridis „Kronen-Zeitung“ friggittivit (i.e. twitter), verisimile est nunc etiam Israheliam non assensuram esse Pacto Migrationis. Plures pluresque nationes recusant hoc pactum globale „migrationis securae, ordinatae, regularis“. In Germaniâ quoque voces pactum recusantium augentur. Ipsâ in parte christiano-democraticâ sunt, qui resistant!

Refert [Kornelia Kirchweger](#)

Consiliarius Securitatis praecipuus: Subscriptionem esse “excludendam”

Richardus Schmitt refert ad telephonema cum **Professore Daniele Schueftan** Consiliario Securitatis gubernationis Israheliana habitum: »*Quid causae est, cur Europaei subscribant isti pacto*

luporum, quo dicitur, quomodo iidem agere velint cum ovibus?« Excludendum esse, quod Israhelia huic pacto subscriberet. Sed gubernatio Israheliana nondum officialiter hanc rem declaravit. Professor Schueftan intra consistorium Beniamini Netanjahu praesidis ministerialis habetur pro stratego magni momenti...

Plures pluresque nationes pactum recusare

Index nationum, quae Pactum Migrationis Nationum Unitarum recusant, in dies fit augetur: *Austria, Civitates Unitae, Australia, Hungaria, Croatia* pacto **non subscribent**. Praeter Israheliam etiam *Iaponia, Italia, Dania, Polonia, Tsechia, Helvetia* **in animo habent e pacto egredi**. In Sloveniâ quoque secundum relationes mediales nunc publicê disputatur, utrum Pactum Migrationis recusandum sit necne!

...

HAEC VERBA

EPHEMERIDIS AUSTRIACAE

„Wochenblick“

(d.04. m.Nov. a.2018)

IN LATINUM CONVERTIT


LEO LATINUS

FABELLA GRIMMIANA

De Iohanne fortunato

IOHANNES per septem annos domino suo famulatus: »Domine« inquit, »tempus meum famulandi cum sit transactum, domum velim redire ad matrem, da mihi mercedem«. Dominus autem respondit: »Cum mihi famulatus sis fideliter sincerêque, en accipe mercedem tuam«, Iohannique dedit glaebam auri, quae tanta fuit, quantum caput Iohannis. Is autem pannulum e sacco protraxit, glaebam eidem involvit umeroque imposuit; deinde domum profectus est. Iohannes cum progrediebatur unum pedem alteri praeponens, subito incidit in equitem, qui laetê ac vegetê equo alacri insidens praetervehebatur. Tum Iohannes magnâ voce: »Heu« inquit, »quam bellulum est equitare! Aliquis sellae insidens nullum lapidem offendit, calceis parcit, tamen progreditur nesciens quomodo hoc fiat«. Hôc audito eques constitit et vocavit: »Heus Iohannes, quidnam causae est, cur eas pedibus?« »Non possum quin hoc faciam, nam domum ferenda mihi est glaeba, eadem constat quidem ex auro, sed caput tenêre non possum rectum: necnon umerus auro premitur«. Tum eques: »Scin’« inquit, »quid faciamus? Unam rem pro alterâ inter nos permutemus, ego tibi dabo equum meum, tu mihi dabis tuam glaebam«. His verbis auditis Iohannes: »Libentissimê« inquit, »hoc faciam. At crede mihi, glaeba tibi erit molesta«. Eques autem descendit, aurum accepit, Iohannem adiuvit equum ascendentem, habenas eius manibus impressit et: »Si quidem« inquit, »sat celeriter equitare volueris, necesse erit linguâ crepitare et verba êdere quae sunt ›hopp hopp‹«.

Iohannes ex animo gavisus est, quod equo insidens equitavit tam liberê lepidêque. Paulo post cum in mentem ei incideret sibi celerius esse equitandum, Iohannes coepit linguâ crepitare et vocare »hopp hopp«. Tum equus se proripuit gradu citato nec mora, Iohannes deiectus in fossâ iacebat, qua agri divisi erant a viâ rurali. Necnon equus rapidê aufugisset, nisi agricola eum stitisset, qui iter faciebat vaccam agens.



Iohannes membris requisitis surrexit. Cum autem morosus esset, agricolam allocutus: »Iniucundum est« inquit, »equitare, praesertim cum talem caballum acceperis qualis est iste, qui recalcitrat et equitantem tam vehementer deiecat, ut non multum absit, quin cervicem sibi frangat; ne semel umquam istum caballum denuo ascendam. Isti mihi praestare videtur vacca tua: tibi enim licet eam lentê sequi necnon cottidie procul dubio accipere lac et butyrum et caseum. Mehercle quam libenter haberem talem vaccam!« Tum agricola: »Hem«, inquit, »si vacca mea tibi tam vehementer placet, sine morâ tibi dabo vaccam, ut mihi des equum«. Deinde Iohannes summê gavisus agricolae assensit: is autem cito equum ascendit et properê profectus est.

Iohannes autem vaccam suam tranquillê agebat mercaturam felicem considerans. »Dummodo habebam frustum panis, et hoc certê mihi non deerit, potero, quotiescumque cupiam, butyrum caseumque comedere pani additos; si sitiam, vaccam meam mulgebo et bibam lac. O corculum, quid cupis ultra?« Cum ad cauponam veniret, constitit, gaudio elatus omnia, quae secum habuit, prandium cenamque totam comêdit necnon pro ultimis assibus sibi relictis sivit sibi infundere hyalum cervesiae dimidium. Deinde vaccam suam agere perrexit, semper versus vicum matris suae. Meridies quo magis appropinquabat, eo molestior erat fervor solis, et Iohannes per ericetum iter fecit, quod erat certê per horam integram duraturum, ut Iohanni sitienti lingua adhaereret palato. Tum Iohannes cogitavit: »Haec difficultas facilis est superato. Nunc vaccam meam mulgebo, ut fruam lacte«. Tum iuvenis vaccam arbori siccae alligavit bestiaeque supposuit, cum situla sibi deesset, pileum suum coriaceum, sed, quantopere studebat et laborabat, ne guttulam quidem lactis accepit. Quia ineptissimê mulgebat, bestia impatiens altero pede posteriore frontem Iohannis tam vehementer calcavit, ut is humum caderet et aliquantisper titubans nesciret, ubi esset. Feliciter accidit, ut quidam lanus accederet, qui pabonem agebat, cui imposuerat porcum. Īdem »Eheu, quidnam tibi accidit!« vocans bonum Iohannem adiuvit, ut resurgeret. Deinde Iohannes narravit, quid factum esset. Tum lanus lagoenâ ei porrectâ: »En accipe et bibe, ut vires tuae reficiantur. Vacca non iam velle videtur lac dare; quae est bestia vetula, quae ad nihil iam apta est nisi ad trahendum aut ad mactandum«. Tum Iohannulus capillos perstringens: »Heu, heu« inquit, »quisnam hoc credidit! Iuvat quidem talem bestiam domi mactare, nam quantum carnis inde accipitur! Sed ego non valdê cupio carnem vaccae, nam talis mihi est parum sucosa. Utinam haberem talem porcum! Hic quidem melius sapit, ne dicam de botulis porcinis«. Tum lanus: »Audi, Iohannes«, inquit, »tui gratiâ permutabo, eo quod tibi porcum dabo, ut tu mihi des vaccam«. Tum Iohannes dixit: »Utinam Deus det tibi mercedem pro amicitîâ tuâ!« vaccam tradens porcumque accipiens a carro solutum et restem, quo porcus erat alligatus.



Iohannes iter perrexit mirans, quam bene sibi omnia evaderent ita ut exoptasset: si sibi quaecumque molestia fieret, eandem sine morâ compensari. Paulo post quidam catulaster Iohanni se associavit, qui sub brachio ferebat pulchrum anserem album. Paulisper unus iuxta alterum iter cum faciebant, Iohannes coepit narrare, quam feliciter sibi omnes res succederent et quanto cum lucro ipse semper unam rem cum alterâ permutasset. Catulaster autem ei dixit se anserem afferre ad epulas baptismales praeparandas. Ālis anseris correptis: »En eum tolle manibus, ut sentias, quam ponderosus sit; îdem enim iam per octo septimanas est turundatus¹. Is qui immorderit hunc anserem assatum, oportet pinguiam detergeat utrimque«. Tum Iohannes anserem alterâ


¹ **turundō**, -āre orig. *nudeln*, i.e. anseres turundis (turunda, -ae f.) saginare. APICIUS

manu pensitans: »Reverâ« inquit, »iste anser est ponderosus, at porculus meus non est magna porca«.



Interim catulaster quocumque circumspexit caput concutiens. Deinde »audi«, inquit, »porcum non ita iustè videris accepisse. In vico enim, quem permigravi, modo porcus est e stabulo sculteti surreptus; timeo, timeo, ne ille porcus sit îdem ipse, quem manu tenes. Emissi sunt, qui eundem recuperarent, et periculum est, ne te deprehendant hunc porcum tecum trahentem: ni quid peius, minimum tibi accidet, ut te inicianit in carcerem obscurum«. Bonus Iohannes timore affectus : »Istud« inquit, »Deus avertat! Adiuva me, quaeso, in luto haerentem, tu quia melius scis, quomodo res se habeant in hac regione, sume porcum meum et relinque mihi anserem«. Tum ille catulaster respondit: »Necesse quidem est, ut aliquid in aleam dem, sed scilicet nolim culpam contrahere, quâ tu incidas in malam«. Ergo reste correpto îdem iuvenis porcum celeriter abegit per semitam, sed bonus Iohannes curis exoneratus cum anserem bracchio supposuisset, versus patriam iit intra se cogitans: »Si rem rectè considero, his bestiis permutatis commoda quoque nactus sum complura: primo assum bonum, deinde copiam pinguinis, quod e carne anserinâ destillabit, et quo usus per quartam anni partem comedam panem pinguamine anserino illitum, denique pulchras pennas candidas, quas curabo

pulvino meo cervicali inferciendas, ut procul dubio obdormiscam, etiamsi non in cunis movebor«. Euge, quantum laetabitur mamma mea!«



Cum Iohannes per ultimum vicum venisset, vidit ibi samiatorem forficum¹ cum carro suo: qui rotâ fremente cantavit:

»Ecce rotula torquetur! Utinam forfex samietur!
Ego morem gero moribus et servio temporibus«.

Iohannes autem constitit samiatorem aspectans; denique eum allocutus: »Bene« inquit, »te habes, quia gaudes samiendo«. Tum samiator: »Ita est« inquit, »haec ars est satis lucrosa. Verus samiator est vir qui, quodcumque marsupium perscrutatur, solet invenire pecuniam. At tu ubi pulchrum hunc anserem emisti?« Iohannes: »Hunc non êmi, sed permutavi cum porco meo«. »Et unde porcum acceperas?« »Quem acceperam pro vaccâ«. »Et vaccam unde?« »Quam acceperam pro equo«. »Equumne autem?« »Pro eo dederam glaebam auri, tantam, quantum est caput meum«. »Et aurum?« »Hoc quidem acceperam mercedem operarum septennium«. Samiator: »Tu

¹ **samiator forficum** orig. *Scherenschleifer*. cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.II: „**samiator**, ōris, m. (samio), *der Wetzter und Schleifer der Waffen*, Edict. Diocl. 7, 33; vgl. Gloss. II, 178, 8 >samiator, ἀκονητής.“

semper» inquit, »scivisti, quidnam tibi prodesset agendum. Nunc si effeceris, ut surgens audias pecuniam in sacculo tuo salientem, eris verê felicissimus«. Iohannes: »Quonam modo« inquit, »hoc efficiam?« Tum ille: »Necesse est, ut fias talis samiator qualis ego sum; ad hoc efficiendum nullâ prorsus re egebis nisi cote, cetera fient ultro. En accipe hanc cotem, quae paululo iam est detrita, sed pro eâ nihil rogo te, ut mihi des nisi anserem tuum; vin' hunc mihi dare?« Iohannes respondit: »Superfluum est, quod me rogas. Nam fiam homo in terris felicissimus: si pecuniam habebo, quandocumque sacculum bracarum perscrutabor, quidnam diutius mihi erit curandum?« et ansere tradito cotem accepit. Tum samiator vulgarem lapidem campestem tollens ponderosum iuxta se positum: »En« inquit, »habeas lapidem probum, quem malleo bene tundas, ut veteres clavos tuos incurvos facias rectos. Quem accipe et bene serva!«.

Lapide subbaiulato Iohannes iter perrexit exsultabundus; eius oculi gaudio luxerunt. Idem exclamavit: »Necesse est me natum esse pileo naturali¹ indutum. Omnia quae exopto accipio tamquam filius albae gallinae«. Interea, cum ex primâ luce pedibus iter fecisset, coepit fatigari necnon fame vexari, quia de vaccâ mercando acceptâ gavisus totum penus absumpserat. Denique aegrê tantum iter pergere valuit et iterum iterumque non potuit, quin sisteret; necnon lapidibus perquam miserabiliter premebatur. Tum Iohannes sibi non temperavit, quin cogitaret se multo melius valiturum fuisse, si lapides sibi non iam ferendi essent. Deinde iuvenis lentissimê repsit ad puteum campestem, ut ibi requiesceret et frueretur potu recenti; ne desidens lapides affligeret, eosdem cautê iuxta se in margine putei deposuit. Postea desedit dorsum declinaturus, ut biberet, sed paululum errans manu lapides appulit, ut ambo cum sono fusco deciderent. Tum Iohannes, cum vidisset lapides demergi in abyssum, gaudio effusus prosiluit, genua flexit, oculis diffletis Deo gratias egit, quod is etiam hoc beneficium sibi detulisset, ut perquam commodê et sine ullo opprobrio se liberaret a lapidibus ponderosis; istos enim sibi fuisse molestissimos.

¹ pileus nātūrālis orig. *Glückshaut*. LAMPRIDIUS Anton. Diad. 4 § 2 et 3.

Nunc Iohannes vociferatus est: »Tam felix quam ego sub sole nullus est homo alius«. Ab omni onere liberatus animo levissimo Iohannes domum profectus est ad matrem suam celeriter processurus.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T. »*Hans im Glück*«

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS


CETERUM CENSEO...

**. . . PACTO MIGRATIONIS GLOBALI N O N ESSE
SUBSCRIBENDUM.**

**NAM ISTUD PACTUM FATALE SI AD EFFECTUM
ADDUCTUM ERIT, NATIONES EUROPAE
EARUMQUE LIBERTAS ET CULTUS CIVILES
INEVITABILITER ATQUE IRREVERSIBILITER
EXSTINGUENTUR.**

**BUTYRUM ET MEL COMEDITE UT SCIATIS
REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM.**

MEDULLITUS VOS SALUTAT



LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD- ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD- ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90




**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM

CENTESIMAM OCTOGESIMAM TERTIAM

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Saturni, 08. m.Dec. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

